

venisti 120 pedum; dices altitudinem (cùm sit minor sextuplo umbrâ versâ) esse 20 pedum tantum: In puncto verò tertio, quadruplo minorem, id est, 30 pedum; est enim 30 quarta pars 120 pedum. In quarto puncto dices esse triplo minorem altitudinem, id est, 40 pedum. In sexto puncto umbram *vel distantiam* esse duplam ad altitudinem, id est, altitudinē esse 60 pedum. In duodecimo verò puncto umbram *vel distantiam* æquari altitudini. In reliquis verò punctis operaberis juxta proportionem singulis punctis adscriptam.

*Expositio & Usus secunda Tabella per umbram rectam.*

**S**ecunda Tabella alium modum ostendit: & primò quidem in anteriori parte per puncta umbræ rectæ in scala Altimetra, positâ determinatâ mensurâ 12 pedum, passuum, aut decempedarum, uti secunda Tabellæ columna monstrat.

**EXEMPLUM.** Accepisti verbi gratiâ distantiam inter te & altitudinem 12 passuum Geometricorum; & observato per Quadrantem fastigio, filum abscindat duo puncta: statim inferes altitudinem esse 72 passuum. In tertio puncto erit 48 passuum, in quarto 36, &c. juxta numeros secundæ columnæ correspondentes punctis umbræ rectæ.

*Expositio & Usus ejusdem secunda Tabella per umbram versam.*

**I**n postica parte Tabellæ secundæ sunt descripta puncta umbræ versæ, cui in secunda columna respondent pedes, passus, aut aliud quodpiam mensuræ genus. Hoc pacto, cadente filo Quadrantis, inspecto fastigio, in secundum punctum, & datâ mensurâ 12 decempedarum, inferes altitudinem esse duarum decempedarum; in tertio trium; in quarto quatuor; & sic de cæteris usque ad duodecimum; ubi altitudo umbræ *vel distantia* semper æqualis est; quæ res mirum in modum facilis est, & à quovis sine calculo perfici potest.

Z

Expo-